

Sustinuit, dein regales Orator ad aulas,
 Et studio vigil, & præstans vi mentis acutæ,
 Eloquioque potens, effuso & splendidus auro,
 Qua se cumque tulit, Veneti deduxit honorem
 Nominis: altisonos senserunt sidera plausus.
 Tum strepitus bellorum inter, crudeliaque arma,
 Dum gemit, & lacerum ostentat Germania pectus,
 Ac subito concussa metu tremit ipsa Vienna,
 Horret, & immitem cæsis tot millibus hostem,
 Arte sagax, firmusque immotæ robore mentis,
 Ille sibi Austriacam Augusto cum Conjuge Divam,
 Immani quamquam curarum pondere pressos,
 Mulcebat faciles, patriæque negotia magna
 Tractabat, medio placidæ ceu tempore pacis.
 At modo, septenis qua collibus ardua surgit
 Roma, caput Mundi, late omnem culta per Orbem,
 Sancta Patris Latii, ac Divis gratissima sedes,
 Sustinet & Patriæ, & splendorem Orator avitum.
 O bene! nam Venetum triplici cinxere corona
 Purpurei nuper Patres (2) caput, & sublimi
 Invitum folio civem, longumque morantem,
 Atque relunctantem, & fletentem imposuere frequentes.
 Interea populus tanti correptus amore
 Principis, effusas tollens ad sidera voces
 Gestit ovans: festis collucent omnia flammis.
 Timpana mille sonant, cytharæque, lyraque, tubæq;
 Pulsatæque manus plausu, sonat undique nomen
 Dum Venetum, reddente Tybri, reddentibus alto
 Collibus, atque jugis Venetum de culmine nomen.
 At nusquam strepitu tanto, pompaque recentis
 Pontificis celebratur honos, Venetumque resultat
 Elatum cœlio nomen, quam qua sedet urbe
 In media ingenti vastissima Regia mole,
 Coraridæ sedes magni. Frons alta columnis